

1772.

1. Bescke, Joannes Melchior Gottlieb : *De origine mortuum contrahendis apud Romanos.*
2. Bescke, Iam. Melch. Gottlieb : ~~De homicidio ex oratione~~
*Nun libris Pontes latius semper mortam fidem intendit? ex sententia Petri Pauli
in 1 Yoh. p. 9. de heres. petet.*
3. Bescke, Iam. Melch. Gottlieb : *De homicidio ex oratione facio*
4. Foerster, Joannes Christianus : *De jure cogens*
5. Foerster, Joannes Christianus : *De discrimine religiosis et theologiae*
6. Koenig, Henricus Joannes Otto : *De Liciencie Rufus
jurisconsulto Romano.*
7. Koenig, Henricus Joannes Otto : *De experimento pulmonum
malantium et submersionium.*
Liberalkn Christianus Ludovicus:
8. ~~Koenig, Henricus Joannes Otto~~ : *De experimento De criminal
procursatis abortis occasione art. 133 P.P.C.*

9. Matthaeus, Ludovicus Gottfried: Vicinibus agnitionum
Criminalium apud Armenos usque ad Caesarum tam
pura.

10. Matthaeus, Ludovicus Gottfried: Ad I. m. Part. 2. Sc
off. cons. quaedam commentatus sive typae lectiones
Iues per sombre librum habentas indicat.

11. Matthaeus, Ludovicus Gottfr.: De jure ad crescens post
venerem hereditatem et l. 251. d. i. hered. ad. act.
meat.

12. Peuzel, Abraham Lazarus et Iohannes Christophorus N.
oriam: Vocis caminatae originem Slovonicam
depinxit.

13. Thunmannus, Iohannes: De confiniis historicis et
particulis orationis.

14. Wallaeus, Iuanus Christianus: De successione agnitionum

in fidei patrum legitima linea, non graduata nec
mixta.

15. Wallae, Joannes Christianus: De fidei membris et
speciebus carnali qualitati et obnoxiois
16. Wallae, Joannes Christianus: De fidei alienabili occas.
II feud. 26 § 23 ut. II feud 48.

1773.

1. Eckhoff, Joannes Henricus: De causis sterilitatis
non absolutis in utraque sexu.

1. Breke, Joannes Henricus: De noctambulis

3. Holzhausen, Georg. Fisiarius: Utrum poena capitali
coercendo sit contra homicidii simplicis proximum,
ex mente C.P.C. atque Mordice. Brandenburgica?

7. Holzhausen, Georg. Fisiarius: De jure axonis res sues
ipsa consuetudo a marito debitore appignorata
repelletur.

5. Mittelblatt, Daniel: De legitima portione parentum
6. Lepernick, Carolus Fr. Seicus: De testamento destituto
viribus.

1774.

1. Carrack, Joannes Tobias: Observations quaedam ad
interpretationem Salviacum occasione l. 1. p. 4. & l. 2. do
Salviacu[m] interpretatio juncta l. 1. C. de precordis et
Salviacu[m] interpretatio
2. Koenig, Henr. Joannes Otto: Utrum ususae venient
in conditionem intellecti?
3. Lepernick, Carolus Faverius: De testamento destituto
viribus.

11
1772 89
DISSERTATIO IURIS CRIMINALIS IN AVGVRALIS

DE

CRIMINE PROCVRATI ABORTVS OCCASIONE ART. CXXXIII. C.C.C.

QVAM

AVCTORITATE ET EX DECRETO INCLYTAE FACVLTATIS IVRIDICAE
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

AD D. VII. NOVEMBRIS MD'CCLXXII.

PRO

SVMmis IN VTROQVE IVRE HONORIBVS, IMMVNITATIBVS,
DIGNITATIBVS

ATQVE

PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS MORE MAIORVM RITE IMPETRANDIS

PUBLICAE DISQVISITIONI SVEMITTIT

L. C. HORA X.

CHRISTIANVS LUDOVICVS LIEBERKÜHN
BEROLINENSIS.

HALAE VENEDORVM

EX OFFICINA CVRTIANA.

DISSESTITIO IAVI CRIMINATIS INVAGARII.

18

CRIMINE PROCURATI ABORES
OCCASIONE ART CXIII CCG.

ITEM

ACCOLUTATE ET EX PROBATO INCURVATI VOLVATIS HEDICIES

IN ALIA REX FREDERICI VND

AD ALI NORMANIA MEDCXXII

ACCOLUTATE ET EX PROBATO INCURVATI VOLVATIS HEDICIES

DIGNITATIBVS BEATAE MAR

ACCOLUTATE ET EX PROBATO INCURVATI VOLVATIS HEDICIES

be obstatum est quod omnia
C. C. Vnde enim illius p[ro]p[ter]eae
elegit quod p[ro]p[ter]eae
est.

C. C. Vnde enim illius p[ro]p[ter]eae
elegit quod p[ro]p[ter]eae
est.

Post exantlatos i. P. KRESSII atque G. Q. POEKELII labores tentauimus tamen plagulas aliquot de criminis procurati abortus conscribere; quod eo magis facere potuimus quo magis haec materia a KRESSIO atque POEKELIO non exhausta nec rite pertracta fuit. Defendit enim olim pro summis in iure honoribus consequendis, sub praesidio magni Viri i. P. SLEVOGTII, KRESSIVS suam cui ridiculus *de crimine abortus* praefixus est titulus, dissertationem. Verum huius dissertationis auctorem esse laudatum KRESSIVM nemo negabit, qui ipsam perlustrauit dissertationem, cuique nitidissima SLEVOGTII innotuit oratio; a qua tantum abest haec dissertatione, ut potius vbiique medii aeui latitatem sapiat. Nec redolet haec dissertatione acumen, elegantiam atque diligentiam, quae postea demonstrauit KRESSIVS in suo

merito tanto cum applausu accepto Commentario ad
C. C. C. Vnica enim sua haec prima dissertatio ver-
satur in explicandis quatuor vel quinque legibus Dige-
storum, quae de crimine abacti partus agunt; nec hac in
re desideriis satisfecit meis. Quod vero explicationis
Articuli nostri gratia adiecit, plane a vera a nobis allata
interpretatione abhorret. Iam longe ante KRESSIVM,
sed pariter infelici cum successu conscripsit suam *de cri-
mione partus abacti* dissertationem POEKELIVS. Copiosa
explicat oratione generalia illa principia de poenis at-
que criminibus. Multus est in explicandis rebus, quae
plane abhorrent a themate suo. Vbiique criminalis atque
ciuilis, Romani, Canonici, atque Carolini Iuris mira
mixtio. Infeliciar quam KRESSIVS adhuc fuit in ex-
plicando Articulo POEKELIVS. Iure igitur meo meas
de crimine partus abacti cogitationes chartae tradere
potui; quid vero praestiterim iudicare velis, quisquis
sis harum rerum gnarus, qui hasce plagulas perlustrare
constituisti.

DISSE R-

ottem

s. 2



DISSERTATIO IVRIS CRIMINALIS INAVGVRALIS

DE

CRIMINE PROCVRATI ABORTVS OCCASIONE ART. CXXXIII. C. C. C.

§. I.

O
perae premium duximus ex limpidissimis fontibus historiam doctrinae de poena procreationis abortus apud Romanos ipsi tractationi praemittere; praeferimus quia haud leues errores magni nominis viros in hac doctrina comississe perspeximus. Hos errores refutatos, nouas quasdam coniecturas, varia quoque vero iam ab aliis dicta, inueniet qui nostras hac de re cogitationes perlustrabit. Nefandum scelus ab antiquis iisque bellicosis ac piis reipublicae

blicae ciuibus vnuquam comissum fuisse nulla extant vestigia. Antiqua vero fide atque pudore exule; quod firmiter demonstrant Iuuenalis ^{a)}, Ouidii ^{b)} atque Senecae ^{c)} testimonia; sceleratissimae foeminae impune partum abegerunt. Quare quoque sat infirmia mihi Bynkershoeckii argumenta ^{d)} videntur, quibus illicitum fuisse iis temporibus abactionem partus contra Noodtium euincere voluit. Argumentis vero quoque iisque firmissimis a Noodtio ^{e)} refutatus fuit. Suffulta erat illa impunitas criminis nostri principiis veterum ICtorum Stoae adscriptorum, qui partum non hominem esse nec ante haustum aerem vitam habere putabant. Illis enim fetum humanum non hominem sed portionem mulieris fuisse pleraque loca docent ^{f)}. Inde dica nobis hoc loco scribenda est Pagenstechero ^{g)} qui partus abactionem crimen fuisse, atque haec principia veteres ICtos nunquam habuisse firmiter contendit. Fulcrum sententiae suae sunt verba Vlpiani ^{h)} — *quod si eo mulier aut homo perierit — ac quaedam loca Iuuenalis ⁱ⁾ et Plinii ^{k)} qui tenellos uteri materni hospites homines nominauerunt.* Concedimus aduersario nostro, Iuuenalem id fecisse, atque Plinium: inde tamen non sequitur abactionem partus crimen fuisse; nec inde torquendus est verborum Vlpiani sensus, quae secundum veras interpretandi regulas ita intelligenda sunt, *quod si ex abortiuo poculo mulier, ex amatorio homo perierit, summo supplicio affici debeant qui pocula dederunt.* Corruit igitur Pagenstecheri sententia. Nec obstat sententiae nostrae Supplicium Milesiae mulieris a Cicerone relatulum ^{l)}. Cicero enim in fauorem A. Clientii enarrans omnia Scelera Caii Oppianici, qui Auriam grauidam vna cum fetu interfecerat, exemplum Milesiae mulieris propter abactionem partus rei capitalis damnatam afferit; vt eo melius eluceat sceleris Oppianici grauitas. Haec vero res, officium oratoris atque defensoris quo fungitur Cicero, illud MEMORIA TENEBO cum quo exemplum a Milesia muliere petitum incipit valde me iudice totius facti veritatem suspectam reddunt. Sic igitur

igitur certa atque explorata veritas manebit antiquis temporibus quotidie et quidem impune prouocatum fuisse abortum.

a) *Satyr. 6. v. 500.*

*Sed iacet aurato vix villa puerpera lecto
Tantum artes huic tantum medicamina profunt
Quae steriles facit atque homines in ventre necandos.*

b) Pertinet hoc quae id luculentem demonstrat tota *Eleg. XIV. Lib. II. Amor.* quam tenerorum amorum lusor contra amicam, quae sibi abortum procuraverat conscripsit; et quidem in primis versus seq.

*Vestra quid effuditis sibi etis viscera telis;
Et nondum natis dira venena datis.*

Vid. quoque *Eleg. de Nuce* ibi verba —

*Nunc veterum viatia quae formosa vult videri
Raraque in hoc aeuo est quae velit esse parens.*

Atque ultimo logo hoc referri meretur v. 621. seq. *Lib. 2. Fag.*

c) In *Consol. ad Helviam matrem* C. 15. — Non more aliarum — inter viscera tua conceperas spes liberorum elisisti. — d) In *Opusc. Cap. 7.*

p. 187. e) In *amica Responf. ad diff. Iul. Paulo motas* quae inserta est eius operibus quae *Colonia Ag.* in forma mai. prodierunt 1732. p. 526.

f) L. 2. n. de mort. inf. L. 1. §. 1. n de insp. vent. cuius verba ita se habent: — *Partus enim antequam edatur mulieris pars est vel viscerum.* —

g) Vid. *Mollenbeccii Thes. Iuris civil. Lexgou.* 1717. 4. pag. 1532.; ibique Pagenst. not. ad Laut. not. *abortus* rocuratio. h) L. 38. §. 5. n. de Poen.

i) Vid. loc. sub litt. a) exhib. — atque *HOMINES* in ventre necandos. — k) *Hist. nat. Lib. 7. Cap. 5.* l) In *Orat. pro A. Clientio.* L. 39. n. de Poen.

§. II.

Res ita se habuit usque ad tempora D. Seueri atque Antonini, qui rescripserunt eam quae data opera abegerat in temporale exilium dandam esse^{m)}). Inde ab his temporibus non amplius impune fuit omnis abortus prouocatio, sed inter extraordinaria crimina relata extraordinaria poena vindicata fuit. Iterum obstat quem antea refutauimus sententiae nostrae Pagenstecheruⁿ⁾ sed non solus, quodammodo enim quoque Mathaei^{o)}). Prodeant pri-
mum Pagenstecheri tela. Negat, abactionem fuisse crimen extraordinarium, potius illud crimen publicum Lege Cor-
nelia

nelia vindicandum, quia homicidii fuerit species audacter contendit. Errat aperte. Homicidium est caedes hominis; fetus per principia Stoica pro homine non habebatur, ergo occidi non poterat; potius ideo quia indignum videbatur legislatoribus, mulierem visceribus suis vim inferentem maritum liberis impune fraudasse, punita fuit, nunquam vero qua talis abortus prouocatio temporali exilio. Mathaei, cuius ingenii acumen, dexteritatemque in Iurisprudentia criminali romana haud infrequenter aliis locis miratus sum, plane sibi dissimilis videtur in sua huius capitatis tractatione. Inuenit enim antinomiam inter Marcianum p) et Vlpianum q). Secundum Marcianum praeses in temporale exilium dat, quae data opera abegerunt: Vlpiano praecipiente in exilium mittitur quae visceribus suis vim intulit. Ast quia nullo adiectione tempore de exilio poena Vlpianus verba fecit, intelligendum esse censet Mathaei exilium perpetuum; ita igitur Marcianus extraordinariis, Vlpianus publicis criminibus accenset abortus prouocationem. Monstrabimus infra, reuera nullam inter ICTos nostros esse antinomiam; sed audiamus antea miram antimonimiae effectae resolutionem. Distinguendum esse censet Mathaei cum Iulio Paulo r) an fetus homo fuerit? an non? priori in casu relegationem perpetuam, posteriori vero temporalem locum habere docet. Summus igitur vir contra aperta ICTorum veterum principia, iis conciliandi gratia, distinctionem inter fetum animatum et inanimatum adhibere non erubescit. Quod vero magis adhuc mirandum vulgaris opinio, exilium sine adiectione temporis significare perpetuum, corruit plane si accuratius consideratur fulcrum, quo sufficit. Est nimurum illud Rescriptum imperatoris Antonini s) in quo seruum sub poena vinculorum sine temporis praefinitione domino reddi iussum perpetuo vinculum esse iubet. Nulla hic exilii mentio exstat, nullus inde cui sanum sincipit, affirmabit poenam exilii sine praefinitione temporis dictatam esse perpetuam. Haec suffi-

sufficient de singulari Romanorum ICtorum circa abortus procura-
tionem philosophia; quam nemo nisi iuris peregrini insanus adorator
ad fora nostra applicabit.

m) Marc. Lib. 1. Reg. in L. 4. n. de ext. crim. n) loc. cit. nec non; in
Lib. sing. de Iure Ventris. Bremae 1714. 12. P. XI. p. 405. o) In Lib.
de Criminibus ad L. 47. et 48. n. Vesal. 1672. 4. Lib. 47. Tit. 5. n. 2.
p. 182. p) cit. Leg. sub lits. m. q) L. 8. n. ad L. Cor. de S.
r) In L. 38. §. 5. n. de Poen. argumento verborum — quod si eo mulier aut
HOMO perierit — quorum vero genuinum sensum §. I. exhibuimus, qui
magis adhuc confirmatur auctoritate Basilicorum Lib. 60. T. 51. C. 38. vbi
verba ex verb. Fabrotti — quod si eo is QVI BIBIT — s) L. 10.
C. de Poen. — Seruus sub poena vincularum sine temporis praefinitione domi-
no reddi iussus sententia praefidis prouinciae perpetuo vincitus esse debet.

§. III.

Maioribus nostris vt varia alia crimina ita quoque abortus
prouocatio ex Romanorum sceleratissimo viuendi genere innotuit.
Nam tam tamen vnquam frequentem fuisse in patria nostra, licet
eius mentio in patriis legibus exstat parum verosimile mihi videtur.
Vbi enim vnquam obtinuerunt apud antiquos Germaniae populos
causae quae ad partum abigendum foeminas Romanas excitabant?
Nulla vt formosa viderer parens esse nolebat, nulla diuertia quibus
factis potuissent in odium mariti spem ex ipso conceptam enecare
mulieres nostrae, nulli heredes secundi qui pro partus abactione
foeminis pecuniam dabant, nullae mulieres impudicae qui opprobrii
vitandi causa visceribus vim intulissent; vbique e contrario summa
regnabat castitas, atque maximus honor matronis multitudine libero-
rum erat. Inde quoque euenit quod in antiquis legibus magis con-
tra eos qui ieu, quam qui poculis abortum prouocare ausi sunt
poena sancta sit. Prima huius criminis vestigia in legibus inclyrae
gentis Alemannorum exstant^{t)}. Poenam pecuniariam maiorem con-
stituant in eum qui sexus debilioris partum in vrero, quam qui po-
tioris enecauit; si cuius sexus partus fuerit cognosci non poterat

aequalem luebat poenam reus, quam si masculus fuisset partus encatus. Fusius egerunt sed obscure Leges Baiuariorum de aborto partu ^{u)}). Ingenua abortionis pocula dans amittit libertatem, qui iectu mulieri partum abegit tanquam homicida tenetur, quod tamen ita intelligendum arbitror si mulier inde perierit. Poena enim deinde pecunaria, si partus tantummodo non mater extinctus fuerit, constituta est; et quidem maior si viuus, minor si nondum viuus fuerit. Vindicatur ex mente harum legum ideo crimen nostrum — *quia sine sacramento regenerationis abortiu modo tradita fuit (ANIMA) ad inferos.*

^{t)} Edit. Lindenbr. Tit. XCI. Herold. Tit. XCII. de eo qui mul. praeg. abort. fecerit. ^{u)} Tit. VII. de Vxor. Cap. XVIII. - XXI.

§. IV.

Quid de ipsa Legum Wisigothorum collectione sentiam, antequam illarum de crimine nostro doctrinam tradam, suadentibus id variis iisque graibus rationibus, declarabo. Vehementer enim doleo celeberrimos ac illustres viros sat incaute his legibus patriarchum antiquitatum atque consuetudinum eruendarum gratia vsos fuisse. Parum enim aut nihil me iudice inseruiunt illis, qui amplum germanicarum antiquitatum campum perlustrare constitunt. Res ut eo melius clara atque aperta sit ab initio harum legum repetenda erit. Wisigothi patria relicta in Hispania Sec. V. regnum condiderunt, initio secundum romanas leges vixerunt, postea vero proprias ediderunt. Primus illorum legislator Euricus rex fuit, cuius tamen leges, si pauca fragmenta quae in nostra legum Wisigothorum collectione inserta sunt excipimus; ad nostra usque tempora non venerunt. Illae enim leges, quae in codice nostro vocem ANTIQVA prae se ferunt, partim Eurici, partim eius Successoris Leouigildi ^{v)}, partim antiquae consuetudines fuisse videntur ^{w)}. Qui post Euri-
cum atque Leouigildum potiti sunt regnum, laudabili studio illos in
conden-

condendis legibus usque ad Chindasuinum sequuti sunt. Huius filius atque successor Recesuindus, demum edidit codicem, qui hodie in manibus nostris post exantatos Pithoei labores versatur ^{x).} Inserta est Codici nostro constitutio e Concilio Tolentano quod an. 721. celebratum fuit, inde quoque paulo post illa tempora editus fuisse videtur; Recesuindum enim iam an. 672. decessisse male affirmunt Godofredus ^{y)} atque Giannone ^{z).} Constat Codex ex XII. Libris atque continet variorum regum constitutiones, ita ut plane ad exemplum Codicis Iustiniani fabricatus esse videatur ^{a).} Eadem enim quam in Iustiniano videmus ostentationem, in Ricesvindo de conatribus suis loquente obseruamus. Eodem vtitur Stylo superbo quo Iustinianus. Doctrina de ultimis voluntatibus, in primis vero forma processus forma iudiciorum reliquaque quae huc pertinent, sapiunt Iuris Romani principia. Doctrina de nuptiis miram Canonici atque Iustiniane iuri mixturam, nulla fere patria instituta continet. Graduum computatio, successio ab intestato ex Institutionibus Iustinianis petita sunt; ut uno verba dicam, ubique obseruamus legislatorum, qui Ius Romanum formaliter e foris eiecit materialiter tam strenue conseruauit, ut vix duodecima pars codicis patria instituta contineat. Haec sunt me iudice grauissimae illae rationes, quae faciunt ut caute cum hac collectione procedendum sit. Inde quoque Hauschildum ^{b)} virum quem alias amo, et quidem vehementer, valde reprehendo. Has leges enim ad patrias res enucleandas aptissimas pronunciauit. Sed mittamus hanc rem.

v) Conf. P. Giannone *Histoire civile du Royaume de Naples, à la Haye* 1742.

4. Liv. III. Chap. I. n. III. p. 199. w) Vid. D. J. L. Hauschild *Ges-*

richtsverfassung der Deutschen. Leipzig. 1741. 4. in praef. §. 10. not. 5.

pag. 7. x) Prodiit primum admonente I. Cuiacio Luter. Paris. 1579.

y) in praef. ad Cod. Theod. z) cit. loc. a) Contentiunt mecum

magni nominis viri I. Cuiacius de Feud. Lib. II. Tit. II. atque Ch. G. Hoff-

mannus qui in Lib. de Orig. et nat. Legum Germ. priu. Lips. 1715. 4. p. 69.

ira — Hinc etiam pauca in Codice Legum Visigothicarum deprehendimus,

quae illustrare possent Germanorum mores. — b) cit. loc.

§. V.

Reliquis antiquis legibus omnibus duriores atque asperiores sunt, quoad crimen partus abacti Wisigothicae. Frequentius enim quam vbique apud Wisigothos propter continuum cum Romanis commercium illud crimen comissum fuit. Qui potionem dedit morte punitur; qui iectu occasio abortus fuit haud leuem luit poenam pecuniariam; si mulier inde mortua vt homicida punitur. Mater quae quoconque modo partum in utero necauit vita vel oculis priuatur ^{c)}). Caroli M. atque Ludouici Pii circa abortus prouocationem leges sapiunt Iuris Romani principia. Vindicatur enim iis praecipientibus tantummodo iniuria marito illata; talionis poena obtinet secundum capitularia nostra, quando foemina inde damnum perpessa est ^{d)}). Altum in omnibus reliquis post haec tempora publica et priuata auctoritate conditis legibus de crimine nostro silentium est. Carolus V. demum plane hanc doctrinam imutauit ^{e)}), cuius quia sanctio propius ad nos spectat peculiari explicatione, digna erit.

c) Tit. III. Lib. VI. de excut. partum hominum. d) Capit. Caroli M. et
Ludov. P. Lib. n. XII. vt si al. e) C. C. Art. CXXXIII.

§. VI.

Straff der ihenen so schwangern weibsbilden kinder abtreiben. Item so jemandt eynem weibsbild durch bezwang, — per quamcumque violentiam externam — ezen oder drinken, — abortiuis medicamentis — eyn lebendig kindt abtreibt, — infantem quem in utero vixisse constat — wer auch Mann oder Weib unfruchtbar macht, so solch ubel furzeglicher und boshaftiger weiss beschicht, soll der mann mit dem schwert, als eyn todtschläger, und die fraw so sie es auch am ir selbs thette, erstrenkt oder sunst zum todt gestraft werden. — masculus crimen committens gladio, foemina, et si quoque mater ipsa fuisset, in aquam suffocabitur

tur. — So aber ein Kind, das noch nit lebendig wär — sc. qui hypothetice nondum viuus est, de cuius vita per probabilia signa certi aliquid affirmare non potest von eynem weibsbild getrieben würde, sollen die urtheiler der straf halber bei den rechtverständigen oder sunst wie zu end dieser ordnung gemeldt ^{f)} radts pflegen.

f) Art. vlt. C. C. C. CCXIX.

§. VII.

Vt locum habeat summum a Carolo V. in hoc crimen statutum supplicium requiritur primum; vt abortus prouocatio remedii externis vel internis facta sit. Hinc inde quaestio praejudicialis, an nimirum abortus prouocari possit per remedia violenta externa vel interna? diiudicanda venit. Lutetiae Parisiorum triste sed luculentum offerunt exemplum sceleratissimae obstetricis, quae ope instrumenti, cuius impiam fabricam probe mihi cognitam non exhibeo multos ferus in utero clandestine atque impune necauerat; postquam demum mulier vna cum fetu ab ipsa vulnerata antequam periit illius crimen reuelauit. Variis aliis externis remedii abortum quoque prouocari posse post tot a celeberrimis viris factas obseruationes, extra omnem dubitationis aleam positum est. Sed videamus nunc an aequo de internis propinatis remedii certum sit? Res dubio non caret postquam nonnulli ^{s)} magni nominis virum Hoffmannum ^{b)} aut non intellexerunt aut intelligere noluerunt, illique immerito dicam scripsérunt. Restaurato vero genuino verborum Hoffmanni sensu satis clara res erit. Quod enim abortiis medicamentis dengauit summus vir; nimirum nulla dari quibus omni tempore in omnibus subiectis fetus expelli posset, merito quoque negabit qui vix limina artis asclepiadeae ingressus est. Nunquam vero Hofmannus ausus est affirmare, qua de re illi tamen dicam scribere volunt certitudinem abortus per medicamenta interna procurati nullo modo

haberi posse. Affirmat potius cum omnibus medicinae legalis scriptoribus, medicamenta sic dicta abortiva sub certa dispositione assumpta caussam facti abortus esse posse. Index igitur in speciali casu ceteris concurrentibus circumstantiis, de abortu medicamentis internis procurato, ex medica relatione certior factus, capitale supplicium constitabit.

E) Vid. I. S. F. de Boehmer Observar. scloſt. ad B. Carpzov. Praef. rer. Crim. Fr. ad Moen. 1759. fol. ad Quæſt. XI. n. 27. p. 22. h) in diff. de laeſionibus externis, abortiuis Venenis ac Philtris. Hal. 729. Obs. III. p. 23.

§. VIII.

Requirit porro Carolina sanctio ad consumationem huius criminis vitalitatem partus, sc. vitalitatis signa a fetu ante abactionem dedita. Neutquam enim probari potest Carolum V. insanam distinctionem inter fetum animatum et inanimatum in mente habuisseⁱ⁾. Tacet enim Articulus noster de hac distinctione, licet quoad poenam infligendam ordinariam, inter fetum viuum *ein lebendig Kindt* sc. de cuius vita iam per signa externa constat et inter fetum nondum viuum *ein noch nicht lebendig Kindt*, sc. de cuius vita vel morte nihil certe deficientibus signis affirmari queat; legislator probe ac prudenter distinguere iubet. In hac nostra quam apud neminem inueni horum verborum explicatione summa latat aequitas. Durum enim esset electionem quandocunque factam capitali supplicio punire; partim quia quo remotior foemina a parturiendi tempore eo debilior spes embryonem viuum atque saluum edi, partim vero quoque quia quo proximior tempore partus foemina est; eo magis certus esse potest is qui poculum praebet, vel foemina ipsa in propria viscera saeuens, non solum de grauiditate sed de ipsa partus vita. Cognoscitur vero vita partus praesertim ex eius in utero ante abactionem motu^{k)}, de quo vix aliter constabit iudici quam ex confessione ipsi matris, cum qua relatio medicorum consipare

spirare debet. Nec contradicunt quae a nobis huc usque prolati fuerunt, Praxi Collegii Supremi Regii Berolinensis, Iustitiae criminalis. Enim excerpta e responsu a. b. aucto meo Ellerto directori olim illustris Collegii Superioris regii medici nomine ipsius huius Collegii exarato. Es hat ein Königliches Hochlobl. Criminal-Collegium für gut befunden, uns diejenigen Inquisitions Akten zu communiciren, welche von denen delegirten Gerichten zu Gylenburg in Preussen, wieder Catharina Zitenskau, die abortum durch äußerliche Schläge vermittelst eines Steines zuwege gebracht, aufgenommen worden, mit Ersuchen eine in arte medica gegründete Beurtheilung darüber, abzufassen.

Ob fetus vitalis gewesen? u. s. w.

Dennoch dieses alles hat man zu mehrerer Erläuterung anzumerken vor nothig erachtet, ob es gleich in der Haupfsache nichts entscheidet, als welche vornemlich darinnen beruhet: ob fetus abortiuus quaestionis, vitalis gewesen oder nicht? zu vernünftiger Entscheidung der Frage überhaupt wird nothig seyn, einen Unterschied fest zu sehen, inter fetum vitalem et partum vitalem. Fetus in latissimo sensu genommen ist allezeit vitalis, a primo conceptionis momento sonst könnte er nicht wachsen und zu mehrerer Größe und Vollkommenheit gerathen. „In sensu strictiore rechnet man fetum „vitalem, von der ersten Bewegung an, welche der Mutter gesetzmäßig im 1sten Monat die Schwangerschaft, circa medium „gestationis tempus empfinden macht.“

i) Fata ridiculae distinctionis inter fetum animatum et inanimatum huc tradare esset aliorum longe ex antlatos labores rursus in me suscipere. Adeat qui hac de re scire aliquid cupit I. H. Boehmerum in *diff. de Caede infantum in utero. Halae 1732.* nec non M. Alberti in *diff. de termino animationis fetus humani. Hal. 1734.* pluresque alios. Nobis sufficit genuinum verborum Caroli V. sensum restaurasse. k) Conf. I. S. F. de Boehmer in *Med. ad C. C. C. Hal. 1770. 4. sub b. art. §. III. p. 620.*

§. IX.

Non aliter denique consummatum esse dici potest hoc crimen, nisi actualis electio partus de cuius vita in utero iudex certus esse debet quocunque modo reuera facta fuerit. Constat me iudice de hac electione tantummodo ex ipsa fetus inspectione. Solam matris confessionem licet indicis adminiculatam, fetum electum fuisse, sufficere ipso fetu deficiente mihi cum Boehmero persuadere non possum¹⁾. Cum confessione enim foeminae motum in utero percipisse affirmantis, medicorum relatio, fetum iam ita comparatum fuisse ut se in utero mouere potuerit conspirare debet. Quomodo vero hac de re iudicium ferre possunt medici si ipse fetus deficit? Immo quid si foemina non hominem eiecisset? Sine ipsa igitur fetus praesentia poena ordinaria non nisi rarissime infligi poterit. Ultimum demum requisitum ad summum supplicium statuendum est dolosa partus abactio. Illa vero sit si quis foeminae quam grauidam esse scit quocunque modo ex quacunque ratione abortum prouocat.

1) cit. lib. cit. Art. §. IV.

§. X.

Fetus igitur quem in utero vixisse constat remediis externis vel internis dolosâ atque vera electio, poena vindicatur ordinaria. Masculi gladio, foeminae, ipsaque mater in propria viscera saeuiens suffocationis in aquam suppicio afficiuntur. Rechte sentit Kochius falsam esse sententiam illorum qui verba Articuli: — soll der mann mit dem schwert als eyn todtschlaeger, und die fraw (so sie es auch an ir selbs thette ertrenkt, oder sunst zum todt gestraft werden: — vt mater abigens tantummodo suffocari, reliqui siue sint masculi siue foeminae gladio plecti debeant interpretantur. Miror ingenuo fateor ICtos omnes haec verba ita interpretatos esse, cum tamen iam Paraphrasta Carolinaeⁿ⁾ genuinum sensum Caroli perspe-

perspexit ita enim ille — *siquidem Vir sit homicidae comparatur et ferro ferietur: si foemina in profluentem turbata suffocabitur.* — Haec quoque vna vera interpretatio est, licet multa ad illam defendant tradere ridiculum esset, partim quia res per se patet partim vero quoque quia ipsa praxis ubique loco suffocationis poemam gladii, sive sunt masculi sive foeminae sive ipsa mater qui crimen comittunt substituit. Si vero fetus nondum viuus fuerit, sive potius nulla vitae signa dedit eius abactio arbitraria poena ex mente Caroli V. punienda est. Culposa aequa ac non consummata abactio vindicantur quoque poena arbitraria. Quae casu fetum imaturum edidit nulla afficitur poena. Nec vlla poena dignus est medicus qui matrem grauidam morbo laborantem aliter liberare non potuit nisi vslu remediorum fetum expellentium.

m) In Inst. Iuris Crim. Ien. 1770. 8. §. 482. pag. 355. Schol.

n) G. Remus in Nemesi Karolinae D. Karoli V. Parapbraſi Herb. Nas. 8. 1594. sub b. Art. pag. 123.

§. XI.

Reuerentia quam sub turela FRIDERICI MAGNI viens SACRATISSIMI REGIS legibus debeo, postulat ut eius hoc crimen concernentes sanctiones afferam. Quod eo lubentius facio quo magis ex iis elucescit summa Iurisprudentiae legislatiae sapientia ILLVSTRISSIMI L. B. A MÜNCHHAUSEN ADMINISTRI STATVS INTIMI DIGNISSIMI. Sapientissima enim illa constitutione primariae infanticidiorum atque abactionum partuum caussae sublatae plane fuerunt. Erant illa ignominia poemaeque illae publicae quibus afficiebantur miserae illae mulieres quas ex furtiu venere grauidas peperisse innotuerat v). Has infanas vtique poenas ILLVSTRISSIMVS MVNCHVSENIUS regia auctoritate munitus plane tollendas esse censuit. En ipsius Edicti verba — *Damit endlich die in Unehren schwanger gewordne Weibszelute*

C

leute

leute um so weniger Bedenken finden mögen, ihre Schwanger-
schaft bekant werben zu lassen, und nach der Vorschrift dieses Edi-
ctes von freyen Stücken anzeigen; so sollen um ein grösseres Ue-
bel zu verhüten, von nun an alle Huren-Strafen, von welcher
Gattung und Art sie seyn mögen, völlig abgeschafft seyn, und der
gleichen Leute ihres begangenen Fehltrits halber zu keiner Strafe
fernher gezogen, auch ihnen nicht der geringste Vorwurf deshalb
oder einige Schande gemacht werden. — Quoad abortuum pro-
curationes in specie grauis constituta est poena in eos qui medica-
menta vendunt sine auctoritate medici obstetricibus vel aliis. q)
Haec tenus de criminis procuratae abortus. Mentionem quoque inie-
cit imperator criminis procuratae sterilitatis, cuius praxis olim in
Latino ex spureissimo libidinis gradu tam frequens fuit ut vix dici
possit. Maioribus non plane incognitum fuit hoc crimen^{r)} nostris
vero temporibus illud vñquam perpetratum fuisse non recordor, li-
cet quibusdam in locis obtineant adhuc rationes, quae illud apud
Romanos tam frequenter exerceri faciebant.

- o) Edict wider den Mord neugebohrner unehlicher Kinder, Verheimlichung der
Schwangerschaft und Niederkunft. De dato Berlin den 8ten Febr. 1765.
§. V. Exstat in Nou. Corp. Conf. Brand. Tom. III. An. 1765. n. 13. p. 583.
p) Conf. merentur Sonnenfelssii Säze aus der Polizey- Handlung- und Finan-
z-Wissenschaft. Wien 1765. §. 35. seq. licet cum magno viro in pleris-
que capitibus non eandem fove opinionem. q) In den Königl. Preuß.
Ch. Br. Medicinal Edict de dato Berlin den 22ten April 1725. Ordnung
wornach sich die Hebammen zu achten n. 4. In Corp. Conf. March. Myli
Tom. III. Vierte Abtheil. I Cap. no. 32. r) Lex Röp. Tit. VI. XXVII.
Lex Sal. Tit. 21. §. 4. L. Al. Lib. XVI. n. XXVIII.

VIRO DOCTISSIMO
CONSULTISSIMO
DOMINO LIEBERKÜHN

S. D. P.

ERNESTVS CHRISTIANVS WESTPHAL

PROMOTOR.

Cum abitum nunc pares adeo TIBI honorificum DOCTISSIME LIEBERKÜHN, qualis paucis nostratrum contingit: non possum TE sine publico aliquo existimationis meae testimonio dimittere; laudis enim testimonio non eges, quod TIBI iam IPSE pluribus documentis publicis parasti. Consueui iam pridem tales subinde de TE audire rumores, quales efferen^s se ingenium, et maturescens doctrinae fiduciam annunciaabant, quique maioris adbuc rei de TE spem faciunt. Nec audiri tantum, sed vidi etiam, legi et miratus sum non vulgaris scientiae specimina, quibus iam inter litteratos homines nomen adeptus es. Magis virtutibus, ingenio ac studio, EGREGIE ADOLESCENS, cum iter ingressus sis, quo TIBI gloriam et bonorum

rum

rum omnium gratulationem colliges certissime, et litteris aequo
ac reipublicae proderis. Miror simul singularem modestiam,
qua honores illos quibus iam diu dignum te quilibet agnouit,
non prius ambiisti, quam nunc demum, cum iam illos petendi ani-
mum te depositiss: ex mora tua iudicaremus. Quam praepter
ingenii dotes, etiam animi virtutem ac probam mentam in te
animaduertisse mibi videar; oro, AMICE, rogoque, ne umquam
hunc auro pretiosorem fomitem extingui patiaris sed magis quo-
tidie, accendas; quo unico demum vere ornatur ingenium, et ad
solidam utilitatem reipublicae efformatur. Sunt haec amici mo-
nita, cuius scholis, praepter alias hic ita operam dedisti ut in-
cunda mibi semper futura sit, TVI recordatio. Age res TVAS
feliciter. Serua mibi TVAM amicitiam, et de mea TIBI habe
persuassimum. Vale.


ULB Halle
002 169 592


3



sb







1772 89
DISSERTATIO IVRIS CRIMINALIS IN AVGVRALIS
DE
CRIMINE PROCVRATI ABORTVS
OCCASIONE ART. CXXXIII. C.C.C.

QVAM
AVCTORITATE ET EX DECRETO INCLYTAE FACVLTATIS IVRIDICAE
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

AD D. VII. NOVEMBRIS MD'C CLXXII.

PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS, IMMVNITATIBVS,
DIGNITATIBVS

ATQVE
PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS MORE MAIORVM RITE IMPETRANDIS

PVBLCIAE DISQVISITIONI SVBMITTIT

L. C. HORA X.

CHRISTIANVS LUDOVICVS LIEBERKVN
BEROLINENSIS.

HALAE VENEDORVM
EX OFFICINA CVRTIANA.

